

1183 in alio statū, quō et ante me nullis annis usū fuit,
 sicut illi perhibent, qui eū ab initio noverunt. Et quia,
 quod caret alterna requie, durabile non est,¹ pro hac assidui-
 tale standi, sedendi, procumbendi cum nulla requie
 corporis miserum refoveret, infirmata sunt genūa eius,
 pedes etiam crura grandi inflatione intumuerunt. Quā
 plagam homo Dei tamquam flagellum patris patienter
 sustinuit et omnia committens divine providentię nullam
 iniquam medicinam apposuit. Preter has et alias animi
 virtutes fuit et aliud in eo insigne martyri, mirabile
 quidem in oculis nostris, sed non imitabile. Afflixit se fri-
 gore spontaneo et vehementi, adeo ut nec yeme ⁱⁿ pambles
 aspera unquam se nocte calefaceret, videlicet a completionis
 usque post capitulum, vel certe post terciam continuatam
 cum capitulo, cum tamen esset tenuiter vestitus carens
 sicut supra dixi pellicio, femoralibus, nocturnalibus cal-
 ceis, contentus diurnalibus, qui tamen erant sine corri-
 giis, et laneum pannum ferebat in capite pro pillo
 duplicatum. Quod nos videntes merito mirabamur, qui
 habentes strubam tota nocte calidam, sicut est moris
 Syloe, insuper et melius vestiti nichilominus tamen
 nocte sicut die quotiens libuit calefactorium instabamus.
 Nec tacendum reor, quod inter alias spirituales gratię doses
 lectioni vacabas divinorum librorum omnibus horis, quas

1) Gr. Hec. epist. 4, 89: Quod caret alterna requie, durabile non est.